



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Sabas Abbas. 5. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S Abam si spectasses, Imperatorem dixisset; ut qui monachorum exercitum non unum ducebat, viros omnes, quales vultu etiam se ferebant, cum ille imberbem in castra sua neminem admitteret. Sævientis fornacis flammam scribitur crucis signo extinxisse; feras & feris magè feros homines domuisse: Agarenum, qui fallaci animo accesserat, terræ hiatus devovisse: templum celo monstrante, in rupe alicubi reperisse: ingenium malum ab ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem nunc cibarius, nunc pecuniis donatus, Iam leonem, qui medicam SABÆ manum expertus erat, ajunt asino custodem ducemque ad pascua fuisse tamdiu, quoad agaso luxurie foedâ se contaminavit, tunc enim devorasse asinum. Ipsum SABAM, cum ad Anastasium Imp. hæreticum iret, anteambulonem habuisse Angelum, verbis impium liberis castigasse, mortemque ei imminentem multo antè prævidisse. Sed & Justinianum itidem Imperatorem palam coronam celo vidisse descendere, & caput SÆÆ ambire, qui tamen exorari non potuit, ut heredem Imperatori apud Deum impetraret, quod hunc hæreticorum partibus accessurum sciret. Denique in ex-
lum

6. Dec. VITÆ SANCTORUM. 765
lum abiisse anno D. xxxi. inter DD. Mar-
tyrum comitatus. *Ex Metaphr.*

*Verè dives est, qui in conspectu Dei po-
test dives videri, in cuius conspectu terra
exigua. mundus ipse angustus est. Solum il-
lum Deus divitem novit, qui sit dives æ-
ternitate, qui non opum sed virtutum fru-
ctus recondat. S. Ambr. l. 3. ep. 1.*

S. NICOLAUS EP. 6. Decemb.

MOres cum lacte ab infantiâ imbibit
NICOLAUS probat, qui cum à
primis cunabulis diebus Mercurii & Ve-
neris semel in die, idque noctu tantum,
maternum lac admisisset, eam consue-
tudinem jejunii per omnem deinde vi-
tam sacrosantam habuit. Adolescens
divitias omnes in pauperes dilapidavit,
ad hoc ingenio etiam, ne gloriolum
mercaretur, usus; uti tum fecit, cum
tribus puellis, quas noverca paupertas
prostituere parabat, dotem trinīs nocti-
bus furtim per fenestras immisit. Subin-
de cum pietatis causâ terram *Christi* ve-
stigiis nobilem peteret, iratum mare
quieti, nautam extinctum vitæ reddi-
dit. Post ex eremo ad homines divinâ
voce evocatus, & divino item indi-
cio Pontifex creatus Myræ, pro liberta-
te Catholicâ fortiter carcerem & vincu-
la tulit. Pro salute suorum sollicitus, etiam
cum longissime abesset, adfuit tamen.
Ita